

rentia talis sumitur à forma, seu à realitate formali: sed mortale non à forma, sed à materia sumitur: ergo non est differentia: probatur minor per Aristot. 7. Metaphys. tex. 22. & primo Physic. & primo de generat. & alibi sæpe dicentem: materiam esse principium, quo res potest esse, & non esse: & loquitur de materia indiuiduata: ut explicat hic Doctor, & in tertia distinctione vigesima secunda.

Tertium.

Tertia, ratio procedit ex differentia conuenientia prædicatorum per se ad prædicata per accidens: cum igitur mortale conueniat cum prædicatis per accidens; quia primo inest indiuiduis: non erit prædicatum per se: quale debet esse differentia: patet assumptum ex prohæmio Metaphysic. quia actio corruptiua est circa singularia: & etiam, quia aptitudo per se est eius, cui conuenit actus per se primo: sed mori per se primo conuenit singulari: ergo, & mortale, quod est aptitudo ad mori.

Quartum.

Quarta, procedit ex prioritate differentie ad speciem, quam constituit: debet enim esse prior: sed mortale non est prius, sed posterius homini: quia prius natura est homo, quam sit aptus mori: ergo non est eius differentia.

Quintum.

Quinta, clara est: nam mortale conuenit alijs ab homine: igitur, &c.

Sextum.

Sexta tandem ratio etiam clara est: nam differentia conducit ad esse essentiale hominis: sed mortale potius ad non esse quàm ad esse hominis conducit: ergo non est eius differentia constitutiuua.

Consequenter responder ad argumenta: ad Porphyrium: quod licet in contrarium asseredo non fuerit Platonius; ut nonnulli sibi volunt; sed Peripatericus: nihilominus loquutus fuit secundum opinionem vulgi, quæ Angelos, & inuisibilia, ad modum hominum, & visibilia percipit, & depingit: loquebatur enim cum minus prouectis: & ideo tali exemplo usus fuit, sed non quod talis fuerit opinionis.

Ad primū

Ad primam rationem respondet, sicut ibi responsum est, rationale esse æquiuocum ad Angelos, & homines: nam ipsi intelligunt per species vniuersales infusas; nos vero per acquisite mediante sensu: de quo videatur Doct. in primo, distinct. 3. quæst. 6. & vltra; ipsi intelligunt complexa sine discursu, nos vero cum discursu: complexa enim tam illi, quam nos sine discursu intelligimus, licet non sine ordine: & loquitur de Angelorum discursu secundum opinionem aliorum. Nam secundum eius mentem Angeli discurrunt.

Ad primam replicam dicit, primo hanc esse veram in vno sensu æquiuocationis: Intelligentia, seu Angelus est irrationalis: maxime si rationale dicit negationem rationalis: sicut vox acuta potest dici obtusa; non ut obtusitas opponitur acutiei vocis, sed acutiei magnitudinis, seu liquoris: & similem responsionem habet, quæst. 4. ante prædic.

Secundo, respondet sine præfata distinctione dicens, talem propositionem simpliciter esse veram: nam rationale non est multiplex: quia non opponitur rationali secundum suam omnimodam significationem: sed tantum prout est differentia diuisiua animalis, & non, ut est diffe-

rentia substantiæ incorporeæ communis Intelligenti: Ex quo infert: quod hæc est simpliciter falsa: homo est irrationalis; quæ secundum primam responsionem in vno sensu esset veritas: sicut hæc: Angelus est irrationalis: & addit: quod hæc: Bos est irrationalis: est omnino veritas: est sine distinctione concedenda.

Contra obicit: priuatio est negatio in subiecto aptonato; & est negatio in genere, & non extra genus: igitur hæc: Bos est irrationalis: erit falsa: cum irrationale dicat priuationem rationis.

Respondet dupliciter: primo irrationale id est esse, quod non rationale: & ita importare præcise negationem; & non priuationem.

Contra: quia tunc non esset differentia diuisiua animalis: tunc quia excederet animam: quod non conuenit differentie diuisiue; sed potius diuisum excedit diuidentia, saltè seorsum sumpta: & quod excedat, patet: nam de quolibet ente à rationali dici potest: lapis enim est irrationalis. Tunc etiam cum posituum non sit de intellectu negationis: & sensibile sit quid posituum, non prædicabitur de irrationali.

Ad primam, dupliciter respondet primo negando irrationale esse negationem extra genus, sed in genere, & ideo optime posse esse differentia.

Secundo, ad utrumque simul dicit: irrationale non esse differentiam formaliter, hoc est constituens aliquam determinatam speciem animalis: bene tamen est differentia circumloquutiue.

Deinde dat secundam solutionem ad primam objectionem superius factam, dicens: irrationale posse dicere priuationem priuantem actum, habitum, & potentiam; & non aptitudinem: vel priuationem priuantem tantum aptitudinem: & hoc secundo modo adhuc multipliciter: vel aptitudinem secundum speciem; vel secundum genus infimum, subalternum, & supremum: unde sicut rationale dicit aptitudinem ad ratiocinari secundum speciem: sic irrationale non solum primo modo: sed etiam secundo, dicitur priuatiuum priuans aptitudinem secundum speciem, non tamen secundum genus: quare Bos, ut animal est, aptus est ratiocinari; sicut Talpa, ut est animal; aptus est videre: pro his priuationibus videatur Doct. in 1. distinct. 28. quæst. 2.

Deinde soluit secundam replicam contra primum argumentum, factam: ibi item æquiuoca sunt, &c. dicens: quod licet significatis æquiuoci, in quantum talia, nihil sit commune, nisi sola vox: tamen vox ipsa seorsum accepta pro vno significato dicit rem, & conceptum illius: quare eum cõmunitate huius vocis, rationalis, stat pluralitas significatorum; dummodo vox pro quolibet seorsum accipiatur, pro quo videatur Doctor 1. Elench. egregie de hoc pertractans.

Consequenter his objectionibus, & solutionibus, expeditis, redit ad soluendam primam replicam contra primi argumeti solutionem adhibita: ibi contra: per Arist. 2. de anima: dicit: quod potestie distinguuntur per actus, & obiecta ab extrinseco vel ob diuersitate modi agendi: quare stat identitas obiectorum cum diuersitate modi agendi: pro quo vide Doctorem in primo, distinct. 3. quæst. 3. §. his visis de ente.

Deni-

Ad secundum dicitur quæstio

Denique soluit secundum argumentum principale negans, differentias oppositas esse eiusdem cõmunitatis: ideo vna potest esse infima, & alia subalterna: & ita est in proposito; si irrationale sit proprie differentia.

ARTIC. I.

An omnis differentia propriissima sit alicuius generis diuisiua, & speciei constitutiuua, ac realiter distinctiuua?

Quamuis Doctoris quæstio penes omnia ad Physicum, & Metaphysicum, ac ad Theologum pertinere videatur; nihilominus nonnullas difficultates circa illam, quæ ad Logicum

(licet per accidens) spectare videntur, in sequentibus Articulis disputabimus, quibus huic tertio prædicabili finem imponemus: & ideo prima sit iuxta titulum quæstionis: an differentia omnis propriissima sit a parte rei diuisiua generis, constitutiuua, ac distinctiuua, speciei? Partem negatiuam suadere videntur argumenta, quæ sequuntur.

1. Argum.

Differentia priuatiua est alicuius generis diuisiua: ut irrationale animalis: & tamen nullius speciei est constitutiuua: quia non est talis species assignabilis: ergo, &c.

2. Argum.

Secundo distincta differentia est: quæ constituit speciem, & diuidit genus: ut ex Porphyrio constat, qui differentiarum aliam, inquit, esse diuisiuam generis; aliam vero constitutiuam speciei: & patet in sensibili, quod animal constituit, illud tamen non diuidit: ergo non est eadem differentia constitutiuua, & diuisiua.

3. Argum.

Tertio, differentia diuidit etiam speciem ab alijs: ergo non est solius generis diuisiua.

1. Not.

Notandum primo, quod sicut genus, & est totum actuale, & potentiale: sic dupliciter diuiditur: vel in partes actuales, siue Physicas, ut animal, in materiam, & animam sensitiuam; siue Metaphysicas, ut animal, in viuens, & sensibile: vel diuiditur in partes subiectiuas, scilicet, in species, per differentias: & de hac diuisione loquimur in præsentia.

2. Nota.

Secundo notandum: quod differentia potest comparari ad idem genus, vel ad diuersa.

1. Conclus.

Dicendum primo, omnis differentia propriissima ad diuersa genera comparata est generis diuisiua, & speciei constitutiuua, ac distinctiuua.

Prima pars patet: quælibet differentia propriissima determinat genus, & trahit illud ad speciem, quæ ex tali genere, & ex tali differentia, constituitur: sed hoc determinare est diuidere genus: ergo.

Secunda pars etiam constat: tum quia sicut forma Physica constituit totum Physicum; sic & forma Metaphysica, qualis est differentia, constituit totum Metaphysicum, quod est species,

Tum etiam quia diuidere genus est illud trahere ad constituendam speciem. Tandem quia de ratione actus formalis est aliquid constituere: differentia est actus formalis speciei: ergo eam constituit.

Tertia pars est manifesta, nam idem est principium constitutiuum, & distinctiuum: sed differentia constituit speciem: ergo eam ab alijs distinguit.

2. Conclus.

Dicendum secundo, respectu eiusdem generis eadem differentia non est simul diuisiua, & constitutiuua: sed alia est diuisiua; & alia constitutiuua. Hæc patet exemplo animalis, quod per sensibile constituitur, & tamen non per sensibile, sed per rationale diuiditur: & ratio est: quia differentia non dicitur contrahere speciem, quam constituit, sed genus, quod ad speciem trahit: ergo, &c.

1. Corol.

Ex quibus sequitur primo, diuisionem illam differentie in constitutiua, & diuisiuam, intelligendam esse de differentia non ad diuersa genera comparata: nam ut sic, eadem differentia diuidit, & constituit: sed de differentia, prout ad eam genus comparatur: nam ut sic distincta est differentia diuisiua, à constitutiuua.

2. Corol.

Sequitur secundo, discrimen esse inter genus supremum, subalternum, & speciem infimam, respectu prædictæ diuisionis: nam genus supremum habet differentias diuisiuas, sed non constitutiuas; species infima constitutiuas, sed non diuisiuas; genus subalternum, & diuisiuas, & constitutiuas, habet.

3. Conclus.

Dicendum tertio, quamuis eadem differentia, prout ad diuersa genera comparatur, diuidat, constituat, & distinguat; prius tamen fundatur in illa relatio diuidens, quam constituentis; & prius relatio constituentis, quam distinguentis. Hæc etiam patet: & quoad primam partem ostenditur: nam hæc causalis est vera: ideo differentia constituit speciem: quia contrahit genus: sed contrahere genus est illud diuidere: ergo prius diuidit, quam constituat.

Secunda pars probatur: quia distinctio illa fundatur in entitate absoluta speciei: sed talis entitas non potest esse sine differentia illam constituentente: ergo prius differentia constituit speciem, quam eam distinguat: cum distinctio sit passio entis.

Ad primū

Ad argumenta: ad primū dico: quod cum differentia positiua sequatur negatio perfectionis, quæ tali positiuo opponuntur; nonnunquam talis negatio ponitur loco positiui in diuisionibus: ut diuisio sit bimēbris: ut quando diuiditur substantia per corpoream, & incorpoream; negatio hæc ponitur loco spiritualis differentie positiue: si fuerit vna: vel si fuerint plures, loco cunctarum: ut accidit in præsentia.

Ad secundum

Ad secundum patet per secundam conclusionem, & per primum Corol. ex ea deductum.

Ad tertium

Ad tertium dico aliam esse diuisionem, quæ differentia diuidit genus, ab ea, quæ diuidit speciem: prima enim est: quædam generis contrahit illi extrinseca, & accidentalis: secunda vero est quædam essentialis distinctio speciei in secundo modo conueniens.

ARTIC. II.

An quavis differentia diuisua sit perfectior genere, quod diuidi?

V T certa ab in certis separemus: primū certum est differentiam aliam esse contrahentem, & extrahentem simul genus: aliam ipsum tantum contrahentem, sed non extrahentem: prima est, quæ genus suum contrahit, & eleuat ad perfectiorem gradum essendi, & ad altius operationis principium, quàm ipsum genus in se erat: vt sensibile euehit corpus ad vitales operationes: rationale extrahit animal à sentiendi gradu, ad esse intellectiuum. Differentia secunda contrahens, sed nō extrahens, est, quæ genus à proprio gradu non extrahit: sed tantum illud determinat: intra eundem gradum, & tantum inæqualitatem spectum distinguit: Huiusmodi sunt Angelorum, Brutorum, Plantarum, Heruarumque differentia: nam omnes, & si suum genus contrahant, non tamen illud ad nouum gradum essendi extrahunt.

Secundum certum est etiam apud omnes, differentiam extrahentem esse suo genere perfectiorem: nam si illud ad esse nobilius eleuat, altioris que operationis est radix: certum est ipsam esse nobiliorem. Vnde Articulus non de differentijs extrahentibus, sed tantum de contrahentibus solum procedit.

1. Sentent. Prima sententia est nonnullorum Recentiorum afferentium tales differentias suo genere imperfectiores esse. Fundamentum est: quia in speciebus ex talibus differentijs constitutis nihil reperitur perfectius, quam natura generis: cum tales differentia illam non eleuent ad altiorē operationem, quam habet ipsum genus. Vnde quod nobilissimū est in Angelis, est intellectus: in Brutis, sentire: in Plantis, & Herbis, vegetari.

2. Sentent. Secunda sententia est: communior in vtraque Schola: pro qua notandum: differentiam ex sui propria natura habere in cōpositione speciei modū essendi perfectiorē, quā gradū genericū: nam genus ex propria ratione habet se, vt quid indeterminate, confusum, materiale, & potentiale: ac proinde materia in cōpositione Physica assimilatur, estque radix operationum sub quadam ratione communi, & confusa: Differentia autem (quæcunque sit ipsa) ex propria sui natura habet esse determinans, distinguens, esse actum essentialē speciei, & operationum, perfectiori modo, quàm per genus significatur.

3. Conclus. Dicendum primo, nulla differentia est æqualis perfectionis cum suo genere. Hæc patet: quia aliās omnes species essent æqualis perfectionis: quod est contra Arist. 8. Metaph. cap. 5. nam cū in genere omnes conueniant, & nullo modo differant: nec ex parte differentiarū: sequitur: quod erunt æqualis perfectionis.

Dicendum secundo, absolute affirmans, est, omnem differentiam esse suo genere perfectiorem: Hæc est communis: & probatur ex notab. allatorum: nam actus quilibet, est perfectior potentia sui ordinis: quia dat illi esse, & completum essentialē: sed genus se habet, vt potentia, & differentia, vt actus: ergo.

Secundo, omnis differentia est principium perfectiorum operationum, quam genus: nam ratione differentia sunt speciei determinate: ratione vero generis nulli speciei in particulari sunt adaptatæ: ergo ex hoc capite differentia est genere perfectior.

Tertio, in essentialiter ordinatis vltima perfectio est nobilior: quia natura ab imperfectis ad simpliciter perfectiora procedit, ex Arist. 9. Metaph. tex. 9. genus est imperfectius: etiamsi sit communius differentia: nam talis communitas est potentialis, quæ imperfectiōnem dicit: differentia autem est vltimum in progressu naturæ, & perfectius, secundum Arist. ergo, &c.

Ad argumentum, & Aliorum fundamentū, responderetur: quod licet tales differentia nō sint extrahentes genus suum: intra eundem tamē gradum generis, illud inæquali afficiunt perfectionē, quam ipsum præhabet in se: perfectionem nempe specificam, & actuali: & licet contrahant genus ad eandem genere operationem, perfectiori tamen modo in vna specie, quam in alia. Vnde in Angelis perfectius est tali modo esse intellectiuum, quam intellectiuum, vt sic: cum hoc sit determinabile; & illud determinatum: & idem in Brutis, & Plantis, est dicendum.

ARTIC. III.

An detur genus infimum: & tale sit animal nuncupandum?

C Irca primum est prima opinio Nominalium existimantium inter quodlibet genus, & infimam speciem, infinita genera mediare: probatur inter quaslibet duas species signatas potest Deus plures, & plures in infinitum creare: cum nulla detur determinata differentia inter species, quin possit dari maior, & maior, in infinitum: sed quælibet conuenientia inter duas species est genus: ergo sunt infinita genera: cum possint fieri infinita genera.

Circa secundum, est Aliorum opinio negantium animal esse infimum genus: quam sic suadent. Diuersæ operationes genericæ diuersos gradus genericos constituunt: sed præter communes operationes, in quibus omnia animalia conueniunt, sunt aliæ operationes genericæ, in quibus conueniunt tantum aquatilia; & in illis differunt ab alijs animalibus terrestribus, & volatilibus: volatilia enim habent tanquam sibi propriam operationem actum volandi: & terrestria actum reptandi: & aquatilia actum natandi: ergo prædictæ operationes denotant principia essentialiter diuersa: quæ, cum sint cōmunia pluribus specie differentibus, genera debent esse.

2. Conclus.

Ad argu.

1. Opinio.

2. Opinio.

Con.

Confirmatur. Sub Cane latrabili sunt plures species infimæ: & similiter sub aui plures auiū species essentialiter distinctæ: Vnde Arist. 1. de Historia anim. cap. 1. & 1. Post. cap. 13. auem, quæ sub animali cōtinetur, genus esse corui affirmat: & 7. Metaph. tex. 28. ait, Equum & Asinum in genere quodam innominato conuenire: ergo patet animal non esse genus infimū ad omnes species animalis. Esti oppositū à probatis Doct. oribus asseratur: dicendum: vel quod loquuntur secundum communem opinionem vulgi: vel quia proxima genera sunt nobis magis occulta: vel tandem quia cum certum sit animal esse genus, & dubium, an detur sub illo alia genera accipiunt, quod certum est, & quod est dubium relinquunt.

Nota.

3. Sentent. Tertia tandem, & opposita sententia quoad verumque videtur esse Doct. solutione ad secundum, & in 4. distinct. 43. quæst. 2. estque communis: in qua dicendum primo, inter genera datur genera infima, & immediata speciebus atomis. Probatur primo, ex Arist. 5. Topic. cap. 3. vbi ait: vitiosam esse definitionem, quæ non datur per genus proximum, & 8. Metaph. tex. 10. affirmat, resolutionem definitionis in suas partes non procedere in infinitum: sed deueniendū esse ad differentiam vltimam, & ad genus generalissimum: igitur, &c.

3. Conclus.

Secundo probatur ab inconuenientibus: nā aliter recta prædicamentorum series destrueretur: vbi species sub proprio genere, & inferiora sub immediatis superioribus, collocantur: hoc enim est prædicamenta esse ordinata: Tum etiā rerum definitiones perirent: cum ad illas requiratur, vel quod ponatur differentia cum genere infimo: vel quod omnia prædicata essentialia cū infima differentia numerentur: ergo cum impossibile sit infinita prædicata numerare, impossibile essent rerum definitiones.

Tertio, ex 8. Physic. & 10. Metaph. in perfectionibus essentialiter subordinatis in aliqua re existētibz debet dari vltima: huiusmodi sunt gradus generici in homine reperi: ergo in illis debet dari gradus, qui genus infimum dicitur. Quarto, actus formalis est essentialiter perfectius potentia ab eo perfectibilis: sed differentia vltima est actus formalis immediate perfectius alicuius potentia: ergo illam necessario requirit: sed talis potentia est genus infimum: ergo, &c.

4. Conclus.

Dicendum secundo, Animal ita est genus infimū: vt inter ipsam, & omnes animalis species, nullum aliud mediet genus. Probatur primo, nā aliās de nullo animali, præter hominem, posset dari scientia: quod est absurdum: patet: quia alia genera, præter animal, vix cognosci possunt. Imo eadem ratione, qua talia genera ponuntur, posset etiam alia in infinitū multiplicari: quod est in signum Nominalium incidere.

Secundo, intra latitudinem viuentium tres tantum gradus reperiuntur, nempe, vegetatiuus, sensitiuus, & intellectiuus, in quorum duobus primis, omnia Bruta essentialiter conueniunt: ergo manifestum est nō dari aliud genus infimū, infra animal.

Ad fundamentum Nominalium respondetur: falsum esse, vniuersaliter loquedo, inter quaslibet duas species, posse à Deo aliam, & alia produci: quia species sunt sicut numeri in indiuisibili consistentes: vnde sicut inter ternariū, & quaternariū, non est dabilis alius numerus ab eis distinctus, ita nec inter duas species infimas, in quarum qualibet non datur latitudo. Sed casu admissio, illa maior, aut minor, conuenientia, inter illas species creabiles, non prouenit ex ratione generica, sed ex varijs differentijs magis, & minus, perfectis, secundum maiorem, vel minorem accessum, seu recessum vnius ab alia.

Ad argu. 1. opinio.

Ad 1. 2. opinio.

Ad primum, pro secunda sententia dico: conuenientias illas particulares, quæ inter nonnulla animalia reperiuntur, non prouenire tantum ex ratione generica: sed vel dimanare ex ipsis differentijs: vel tantum esse accidentales: quæ genera accidentalia dici possunt, ex eisdem temperamentis, ex similibz modo procedēdi, & figura accidentali exteriori desumpta. Vnde conuenientia, inter horum animalium operationes, vel prouenit ex ratione perfectiori differentiarum: vel si differentia non conueniunt, prouenit ex maiori, vel minori accessu, seu recessu vnius differentia ad aliam: sicut ternarius accedit proprius ad quaternarium, quam binarius: non tamen inde sequitur ternarium, & quaternarium, in aliquo essentiali conuenire, nisi in numero. Et vtraque solutio sufficit.

Ad confirmationem dico: quod ibi Aristot. Appellat auiū genus, vt genus sumitur accidentiter, ab operatione simili promanans; vt diximus: & eodem modo loquitur in 7. Metaph.

Ceterum, quia opposita sententia maximā probabilitatem habet: propter locum Arist. in 7. Metaph. & expositionem Doctoris super ipsum: & quia in præfata, solutione ad secundum, sicut & præfata opinio, colligi potest: ait enim: quod licet animal sit genus infimum respectu hominis; respectu tamē irrationalis; si irrationalis sit propria, & vera differentia (& quia non est proprie talis, ideo diximus videri ex mente Doctoris, animal esse genus infimum ad omnes species animalis) potest esse genus subalternū: imo, & ipsum irrationale: ideo in doctrina Doctoris videtur mihi pro nunc vtramque sententiam subfiniri posse: & ad argumenta in oppositum respondetur: ad primum negando sequellam respectu intellectus genus proximum cognoscens: respectu vero nostri pro isto statu non mirum est enim pro nunc nostra scientia imperfecta, & à posteriori: & quamuis non cognoscamus nisi gradus illos in secundo argumento assignatos, non inde sequitur non esse

Resolutio Articuli.

secundum,

(1)

P I P R A E